

rum copia priorem collaudem? an a magnanimitate initium ducam? at non minor haberi poscit prudentia, an ambabus liberalitatem preponam; sed manum iniicit pietas, tamquam virtutum omnium domina ac regina.

## LIII.

Sequitur *Aposiopesis*. v. g. *Exstinctum* *Aposiope* igitur est lumen hoc reipublicæ? sed non opus<sup>sis</sup> est verbis, ubi omnium lacrimæ de tanti principis morte testantur.

## LV.

His succedat *Sermocinatio*. v. g. *Quid* *Sermoci* ad hæc improbi atque ingrati? erubescant ni<sup>natio</sup> mirum, suo sese officio in agnoscendis principis viui beneficiis, quibus in obitu eius priuentur, tam turpiter defuisse. *Quid* nos, in- quient, magis decere, aut iuuare etiam potuisset, quam ut vitam tam gloriosi ac benefici principis longiorem a deo, eius conseruatore, precibus piis exorasset.

## LVI.

Affinis est isti *Prosopopœia*. v. g. *Au* *Prosopo* dire iam videor mihi tristem patriam ita con-<sup>pœia</sup> queri & quodammodo tacitam loqui: nullum iam tot annos beneficium in rem publicam existit, nisi per Casarem; nulla virtus atque religio sine Casare; illi vni multorum ciuium vita: illi terror ac profligatio hostium; illi Germanorum salus & gloria vni debetur.

N 2

LVII.